Quelle:
Copyright:



52. Cod. XXXI. n. 1.

Ultima Codicis nostri verba sunt hæc:
„Ut post hoc exilium perducat me ad thronum regni sui
„Ut sine fine merear gaudio sempiterno frui.
„Quod nobis omnibus præstare dignetur Dominus
Jesus Christus,
„Qui cum patre et Spiritu sancto est in perpetuum bene
Dictus amen.
„Et sic est finis Deo gratias.
„Explicit speculum humane salvationis sub anno
„Domini 1403. in sancti Johanis baptiste."

De authore hujus Speculi Eruditi variant. Freytag in Analect. liter. p. 891. se vidisse ait Lipsiæ in Collegii Paulini Bibliotheca codicem manu exaratum, cui auctoris nomen, Henrici de Lichtenstein, additum erat. Meerman de orig. Typograph. T. I. p. 107. Speculum hoc tribuit cuidam Joanni, Sæculi 13. vel 14. Monacho S. Benedicti, quod collegit ex versibus, qui in fine Editionis cujusdam vetusto exstant hujus tenoris:

„Explicit humane salutis sumula plane
„A me fratre Johane, cui pater ordinis, alme
„Vir Benedicte, puto, quasi minimo monacho."

Pezius in Biblioth. Ascet. T. 8. p. 697. Sumulam humanæ salutis exaratse dicit Joannem de Weilhaim, qui floruit Sæc. 15. Postquam autem Cl. Panzer in suis Annalen der ältern Buchdr. Literatur pag. 6. et seq. editionem produxit ab ao 1472. in qua habetur hoc prefatio: „Incipit Prohemium libri Sequen„tis. Andreas natione ytalus. officio presbiter. minis„trorum et pauperum. dum [illegible]dni: iehsu Christi pau„perior ego," hic Andreas passim ab Eruditis author hujus Speculi habetur. Ceterum, codicem nostrum ratiorem esse non dixerim, cum Steinecken in sua Idée generale affirmet, se via non in omnibus Benedictinorum Coenobiis codices mss. hujus Speculi vidisse.